Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26908
Copyright: Admont, Benediktinerstift

169

Nam carceralis cecitas splendore lucis fulgurat. dupleque morsus stipitis ruptus cauer-
nis dissilit. Agnoscit hoc uincentius. adesse quod sperauerat: tanti laboris premium. christum dato-
rem luminis. Cernit deinde fragmina iam testularum. mollibus uestire semet floribus.
redolente nectar carcere. Quin et frequentes angeli stant ac locuntur comminus. quorum unus
ore angustior compellat his dictis uirum. Exurge martyr inclite exurge. tuis et
almis exurge cetibus noster sodalis addere. Decursa iam satis tibi pene minacis munia.
pulchroque mortis exitu omnis peracta est passio. O miles inuictissime fortissimorum fortior
iam te ipsa seua et aspera tormenta uictorem tremunt. Spectator hec christus deus compensat
tuo interminio. perpetemque collegam crucis larga coronat dextera. Pone hoc caducum uasculum
compage textum terrea. quod dissipatum soluitur: et liber in celum ueni. Hec ille
sed clausas fores interna rumpunt lumina. tenuisque primas ianitor lucis latentis
percipit. Hoc cum stuperet territus obsessor atri liminis quem cura prior manserat
seruare ferale domum. psallentis audit insuper perdulce carmen martyris. cui uocis
instar emule: conclaue reddit concauum. Pauens deinde introspicit admota aliquantum
postibus acies partas cardinum intrare iuncturas potest. Uernare multis floribus strami-
na testarum uidet. ipsumque uinclis nexibus obambulantem pangere. Impleuntur aures tur-
bidi pectoris hoc miraculo. flet uictus. et uoluit gemens iram. dolorem. dedecus. Ex-
emptus inquid carcere paululum. benignis fotibus recreetur: ut pastum nouum penis re-
fectus prebeat. Conuenire toto ex oppido turbam fidelem cerneres. mollire prestratum thorum
siccare cruda uulnera. Ille ungularum duplices sulcos pererrat osculis. hinc purpuran-
tem corporis gaudet cruorem lambere. plerique uestem lineam stillante tingunt
sanguine. tutamen ut sacrum suis domi reseruent posteris. Tunc ipse manceps car-
ceris et uinculorum ianitor ut fert uetustas conscia repente christum credidit. Hic obseratis
uectibus densum specu caliginis splendore lucis aduene micuisse clausum uiderat
dicit uero postquam lectuli quietem martyr contigit: eger moratum tedio. et mortis incensus
siti. si mors habenda hominum est que corporali ergastulo mentem resoluit liberam. et red-
dit auctori deo. mentem piatam sanguine mortis lauacris enitam. que semet ac uitam
suam christo immolanda prebuit. Ergo ut recline mollibus reiecit aulea caput uictor
relictis artubus celum capessit spiritus. cui recta celso tramite reseratur ad patrem uia.
quam fratre cesus impio abel beatus scanderat. Stipant eundem candidi hinc inde
sorum chori. parique missus carcere baptista iohannes uocat. At christiani nominis hostem
coquebant irrita fellis uenena. et liuidum cor efferata excusserant. Seuit inermem
crederes fractis dictibus euasit. exultans ait rebellis et palmam tulit. sed restat illud
ultimum. inferre penam mortuo feris cadauer tradere: canibusue carpendum dare
Sic fremit et corpus sacrum profanus ira dirum nefas nudum negato tegmine
exponit inter carices. Sed nulla dirarum fames aut bestiarum. aut alitum. audet